

Cor vel Anima: hac enim & alibi dicitur, quòd reprehendat, non reprehendatur, & judicet hominem, non ipsa judicetur, sicut ait Johannes: si Conscientia, inquit, nò reprehendat nos, fiduciam habemus ad DEVM, & iterum ipse Paulus alibi dicit: quia ergo tantam ejus video libertatē, quod in Bonis quidem gestiat, gaudeat semper & exultet, in malis vero non arguatur, sed ipsam animam, cui cohaeret, reprehendat & arguat, arbitror, quod ipse sit spiritus, qui ab Apostolo esse cum anima dicitur, secundum quod in superioribus edocuimus, velut Pedagogus, & quidem sociatus, & Rector, ut eam de melioribus moneat, vel de culpis castiget, & arguat: de quo etiam dicit Apostolus: quia nemo scit hominum, quae sunt hominis: nisi spiritus hominis, qui in ipso est, & ipse sit conscientia Spiritus, de quo dicit: Ille Spiritus testimonium reddit Spiritui nostro. Secundo deviant, qui simpliciter negant, Conscientiā esse habituale quid, sed merum actum esse asserunt, quo vergit Assertio Francisci Suarezii, qui disput. 12. Assertionem tertia hanc habet: dicendum, Conscientiam esse actuale & practicum iudicium intellectus, discernentis de rebus agendis inter bonum & malum, turpe & honestum, praeceptum vel prohibitum. Tertio declinant à tramite veri qui cum Guilielmo Perkinso Conscientiam dicunt partem Mentis sive Intellectus, adeoque quandam potentiam, facultatem sive creatam qualitatem, unde Scientia & Judicium, tanquam effecta quaedam dimanent, videatur illius Anatomia Conscientiae sacrae cap. 1. pag. 1197.

XII.

De Actu ipso quoque certant secundo Doctores Pontificii; quam enim inter illos ferè certum sit, Conscientiam esse Dictamen: de actu tamen imperii adhuc sub Judice lis est, pro quo Thomista pugnant, rectius tamen alii eundem negant & impugnant, ut videre est apud Bresserum libro primo cap. quarto pag. 18. 19. qui ita disputat: *Suppono hic primo, veriore ac communiorem saltem recentiorum sententiam non convenire intellectui, quantum ad illum actum antiquis etiam philosophis ignoratum; sed imperium, sive economicum aut civile, superioris erga subditum, sive monasticum ac privatum cuiusque erga seipsum, nil esse aliud quam practicum quandam enuntiationem seu locutionem tanquam ad inferiorem; ut oratio est ad superiorem, suasio & communis locutio ad aequalem. Ad quod non est opus alio actu, quam iudicii connotantis ac substantis impulsui voluntatis. Alius actus nec est necessarius, nec explicari potest qualis sit, cum omnis actus intel-*